SACRAM MEMORIAM

AUGUSTISSIMI ET CLEMENTISSIMI

REGIS AC DOMINI

ERNESTI AUGUSTI

REGIS HANNOVERAE, REGII PRINCIPIS MAGNAE BRITANNIAE ET HIBERNIAE, DUCIS CUMBRIAE, DUCIS BRUNSVICI ET LUNAEBURGI ETC.

RECTORIS SUI MAGNIFICENTISSIMI

ORATIONE FUNEBRI

DIE XVII M. DECEMBRIS A. MDCCCLI

HORA POSTMERIDIANA II

IN AULA ACADEMICA

RITE PIEQUE PROSEQUENDAM

INDICUNT

PROQUE NOVI REGIS

AC DOMINI AUGUSTISSIMI

GEORGII V.

SALUTE ET DIUTURNITATE

BONA VOTA CONCIPIUNT

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRORECTOR ET SENATUS.

Inest

C. FR. HERMANNI, ELOQ. P. O.,

disputatio de sceptri regii antiquitate et origine.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

(GUIL. FR. KAESTNER.)

Rege mortuo novum regem consalutaturo philologo ultro in mentem veniant necesse est illustrissimi Homeri versus, quibus nemo aut prius aut luculentius hereditarii principatus formam non humana prudentia inventam sed divinitus traditam ac sancitam praedicavit; ubi Agamemnon describitur (Iliad. II. 101) *σκῆπτρον ἔχων, τὸ μὲν Ἥφαιστος κάμε τεύχων·*

Ἥφαιστος μὲν δῶκε Διῒ Κρονίωνι ἄνακτι,
Αὐτὰρ ἄρα Ζεὺς δῶκε διακτόρῳ Ἀργειφόντῃ,
Ἑρμείας δὲ ἄναξ δῶκεν Πέλοπι πληξίππῳ·
Αὐτὰρ ὁ αὖτε Πέλοψ δῶκ' Ἀτρέϊ ποιμένι λαῶν·
Ἀτρεὺς δὲ θνήσκων ἔλιπε πολύαρνι Θυέστῃ·
Αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι,
Πολλῇσι νήσοισι καὶ Ἄργεϊ παντὶ ἀνάσσειν.

Nimirum omnium antiquissimum regiae potestatis insigne apud Graecos sceptrum fuisse inter omnes constat; cui quod posterius accessit diadema, sanctimoniae tantum signum erat, qualem et magistratus et sacerdotes passim coronis frondeis prae se ferebant, cf. Paschal. de coronis p. 566—586, quo in genere quod proprie diadema appellatur, fasciam linteam, quamvis Plinio auctore (Hist. N. VII. 57) Liberi patris inventum, inter mortales primus Alexander rex Macedoniae capiti circumdedisse traditur Justin. XII. 3. 8, cf. Eckhel doctr. numor. T. I, p. 253; neque adeo radiatis coronis prius locus factus est, quam reges vel imperatores pro solari numine divinis honoribus coli coepti essent, quod ipsum licet Virgilius Aeneid. XII. 162 ad fabulosum suum Latinum rejecerit, revera tamen ab Antiocho demum Syriae rege usurpatum, ne post Caesarem quidem, cui distinctam radiis coronam in theatro gestandam decretam esse Florus IV. 2. 91 refert, adeo invaluit, ut ante Neronem in aeneis, ante Caracallam in argenteis aureisve numis vivorum Augustorum capita radiis ornata exstent; cf. Eckhel T. VI, p. 270, T. VIII, p. 362; Bull. dell' Inst. arch. 1841, p. 104. Sceptrum

autem jus regium significare, sine quo ne cogitari quidem rex potest, alii quoque antiquissimi poëtae loci testantur; quorum etsi unus (Iliad. II. 206:

Εἷς βασιλεύς, ᾧ δῶκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκῆπτρον ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσιν ἐμβασιλεύῃ)

alterum versum jam antiquis subditicium habere visus est, sincerissimi tamen sunt, unde ille ipse fingi potuit, Iliad. IX. 37. 38:

Σοὶ δὲ διάνδιχα δῶκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω,
Σκήπτρῳ μέν τοι δῶκε τετιμῆσθαι πέρι πάντων,

et propius etiam ad illum accedentes, quos jam Dio Chrysost. Or. I. 11 cum superiore confudisse videtur, v. 98. 99:

Λαῶν ἐσσὶ ἄναξ καί τοι Ζεὺς ἐγγυάλιξε
Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσι βουλεύῃσθα:

item II. 46, ubi ejusdem vis hereditaria significatur:

Εἵλετο δὲ σκῆπτρον πατρώϊον ἄφθιτον αἰεί:

neque aut Odyssea (II. 231, IV. 64, V. 9, VIII. 41) aut posterioris aetatis poëtae regem διοσδότοις σκήπτροισι τιμαλφούμενον (Aeschyl. Eum. 616) aut σκηπτούχους (Simonid. de mulier. 69) hoc est βασιλεῖς (Hesych. T. II, p. 1208) ignorant, quos inter non infimo loco celebratur Minos ab Hesiodo apud Plat. de lege p. 320 in versibus ita fere refingendis:

οὗτος γὰρ βασιλεύτατος ἦν πάντων βασιλήων,
καὶ πλείστων ἤνασσε περικτιόνων ἀνθρώπων,
Ζηνὸς ἔχων σκῆπτρον· τῷ καὶ πολέων βασίλευε;

ipse denique Xenophon Mem. Socr. III. 9. 10 βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας σκῆπτρα ἔχοντας memorat, unde hujus quoque aetate qui superessent vetus gestamen retinuisse jure nostro colligimus. Nec non apud barbaros ejusdem vestigia passim deprehendimus, quo ex genere Diodorus Sic. III. 3 Aethiopum atque Aegyptiorum reges pariter ac sacerdotes τὸν τοῦ σκήπτρου τύπον ἀροτροειδῆ καθεστῶτα, hoc est in aratri speciem terminatum habuisse tradit, quam speciem jam Winkelmannus Oper. T. III, p. 89 in animalium capitibus agnovit, quibus baculos ornatos etiam nunc in illarum terrarum monumentis conspicimus; sive cui hoc gestamen latius patere videatur, quam quod peculiarem regis majestatem significet — Babylonios adeo omnes ejusdem generis baculos gestasse Herodotus I. 195 narrat: σφρηγῖδα δὲ ἕκαστος ἔχει καὶ σκῆπτρον χειροποίητον· ἐπ' ἑκάστῳ δὲ σκήπτρῳ ἔπεστι πεποιημένον ἢ μῆλον ἢ ῥόδον ἢ κρίνον ἢ αἰετὸς ἢ ἄλλο τι· ἄνευ

γὰρ ἐπισήμου οὔ σφι νόμος ἐστὶν ἔχειν σκῆπτρον — Hebraeis certe scipionem etiam potestatis et imperii signum fuisse non pauci eorum locorum, quibus voc. שֵׁבֶט in V. T. libris exstat, ut Genes. XLIX. 10, Num. XXIV. 17, Jesai. XIV. 5, Zach. X. 11, clarissime docent; immo vel Philistaeorum regulis sceptra tribuit Amos I. 8, eodemque referas Persarum regis sceptrum aureum (שַׁרְבִיט הַזָּהָב) in Estherae historia IV. 11, V. 2 commemoratum et a Xenoph. Cyrop. VIII. 7. 13 firmatum; quanquam virgam potius, λύγον χρυσέαν, Josephus Ant. Jud. XI. 6, 3 interpretatur, neque materia convenit, quam apud Hebraeos vitigineam potius fuisse ex Ezech. XIX. 11 scite colligi docuit me collega conjunctissimus Bertheavius, prorsus ut Jovis sceptrum κυπαρίσσινον dixit Hermippus apud Diog. L. VIII. 10, Achillisque ligneum cognoscimus ex Iliad. I. 234:

Ναὶ μὰ τοδὲ σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους
Φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπε,
Οὐδ' ἀναθηλήσει· περὶ γάρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε:

ut aureum, quod non Chrysae tantum Il. I. 15 et Tiresiae Od. XI. 91, sed etiam Ulyxi Il. II. 268 et Minoi Od. XI. 569 Homerus tribuit, cum Terpstra ant. Hom. p. 73 et Ostermanno de praecon. p. 18 ad clavorum tantum aureorum ornamenta referendum videatur. Sed Orientis reges mittere praestat; quos etsi Graeci scriptores (Her. VII, 52; Aeschyl. Pers. 761) pariter atque artifices domestico sceptrorum decore insigniunt — cf. Millin tombeaux de Canose T. 3. 7; Mon. dell' Inst. arch. I, T. 57, III, T. 49, IV, T. 10; Lenormant élite céramograph. V. II, T. 87 — illarum tamen terrarum monumenta non ita constanter regias imagines scipionibus exornant, ut hoc insigne pari cum aliis loco habuisse videantur, quae vel ex Diod. III. 3, XVII. 47, vel ex Curtio III. 8, IV. 4 cognoscimus, nec qui illic σκηπτοῦχοι vel σκηπτροφόροι appellantur (Xenoph. Cyr. VIII. 1. 38, 3. 15; Anab. I. 6. 11, 8. 28) ipsi reges sed regum satellites et ministri habendi sunt, cf. Aeschyl. Pers. 295, Aelian. H. Anim. VI. 25, clarissimumque Strabonis testimonium XI, p. 496: δυναστεύονται δὲ ὑπὸ τῶν καλουμένων σκηπτούχων· καὶ αὐτοὶ δὲ οὗτοι ὑπὸ τυράννοις ἢ βασιλεῦσιν εἰσίν: quod si qui posterioris aetatis reges ipso sceptri insigni noscuntur, ut Herodes apud Josephum B. Jud. I. 33. 9, cui διάδημα μὲν ἐπέκειτο τῇ κεφαλῇ, στέφανος δὲ ὑπὲρ αὐτοῦ χρυσοῦς, τὸ δὲ σκῆπτρον παρὰ τὴν δεξιάν, id a Romanis acceptum tenuisse consentaneum est. Hos enim ut multis aliis in rebus ita in hac quoque Graecis quam barbaris similiores deprehendimus, quod et ipsorum reges olim sceptrum gesserant

et si quos postea peregrinos reges et socios appellarent, illos, ut Livius XXX. 15 de Massinissa Numidiae regulo narrat, inter alias apparatus regii partes *scipione eburneo* donarunt; eodem scilicet exemplo, quo Evander Virgilianus Aen. VIII. 505 Tarchontem Etruscum *oratores ad se regnique coronam cum sceptro misisse insigniaque mandasse* ait, propiusque ad historiae veritatem Dionys. Hal. III. 61 Etruscorum civitates Tarquinio Prisco eadem *σύμβολα τῆς ἡγεμονίας* obtulisse tradit, *οἷς ἐκόσμουν αὐτοὶ τοὺς σφετέρους βασιλεῖς, στέφανόν τε χρύσεον καὶ θρόνον ἐλεφάντινον καὶ σκῆπτρον ἀετὸν ἔχον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς χιτῶνά τε πορφυροῦν χρυσόσημον καὶ περιβόλαιον πορφυροῦν ποικίλον*: ipsi praeterea quamvis abolita potestate regia, circensi tamen pompae (Juven. Sat. X. 43) imperatorumque triumphis hoc jus conservarunt, ut quibus is honos contigisset regali ornatu praetervcherentur, cujus non minimam partem sceptrum fuisse claris verbis docet Appianus B. Pun. c. 66: *ἔσταλται δ' ἐς τὸν πάτριον τύπον πορφύραν, χρυσῶν ἀστέρων ἐνυφασμένων, καὶ σκῆπτρον ἐξ ἐλέφαντος φέρει καὶ δάφνην*: cf. omnino Brutum apud Dionys. Hal. IV. 74: *τῶν δὲ παρασήμων, ἃ τοῖς βασιλεῦσι παραδέδοται . , . τὰ μὲν μειῶσαι, τὰ δ' ἀφελεῖν οἴομαι δεῖν· τὰ σκῆπτρα ταυτὶ λέγω, καὶ τοὺς χρυσοῦς στεφάνους καὶ τὰς ἁλουργεῖς καὶ χρυσοσήμους ἀμπεχόνας, πλὴν εἰ μὴ κατὰ καιρούς τινας ἑορταίους καὶ ἐν πομπαῖς θριάμβων, ὅτε αὐτὰ τιμῆς θεῶν ἕνεκα λήψονται κ. τ. λ.*

Sic autem testificata et confirmata sceptri regii apud Graecos Romanosque antiquitate, antequam ad eam quaestionem transeamus, quae summa in hoc argumento est, ut de origine et significatione illius insignis quaeratur, formam ejus quantum potest oculis proponamus necesse est, quia hinc demum etiam primitivum ejus usum existimare et ab aliis ejusdem generis instrumentis distinguere licebit. Quamvis enim *σκῆπτρον* in genere nihil nisi baculum vel scipionem esse constet nec vel apud Homerum, nedum apud alios scriptores loci desint, ubi simpliciter *βάκτρον* sive *ῥάβδον* significet — cf. Iliad. XVIII. 416. 552, Odyss. XIII. 437, XVII. 199, XVIII. 103 etc. — scite tamen Eustathius ad Iliad. I. 15: *ὅτι καὶ διαφέρει σκῆπτρον σκίπωνος*, inquit, *δηλοῖ ὁ γεωγράφος εἰπὼν βασιλεῖς τινας σκίπωνα ἔχειν ἀντὶ σκήπτρου*, nec Platonem *ῥάβδον* et *σκῆπτρον* promiscue habuisse ostendit Gorg. p. 526: *ἑκάτερος δὲ τούτων ῥάβδον ἔχων δικάζει, ὁ δὲ Μίνως ἐπισκοπῶν κάθηται μόνος ἔχων χρυσοῦν σκῆπτρον*: utque Polygnotus in lesche delphica (Paus. X. 30) Agamemnonem pinxerat *σκήπτρῳ τε ὑπὸ τὴν ἀριστερὰν μασχάλην ἐρειδόμενον, καὶ ταῖς χερσὶν ἀνέχοντα ῥάβδον*

— ubi nolim cum Kaysero in Zeitschr. f. d. Alt. 1850, p. 599 Protesilao inserendo personas distingui — vasorum veterum picturae, quibus illustrissima vitae antiquae imago informatur, tres ut minimum baculorum species exhibent, quas haud scio an ita commodissime distribuamus, ut prima ῥάβδου, secunda σκίπωνος sive βακτηρίας, tertia σκήπτρου formam exprimere perhibeatur. Et ῥάβδου quidem imaginem, quam virgam commode interpreteris, planissime omnium palaestrae prae se ferunt, quarum praefecti hoc maxime instrumento mobilem puerorum turbam coercuisse videntur, cf. Laborde vases Lamberg T. I, pl. 7. 73. 74, Roulez in Mém. de l'Acad. de Brux. 1842 etc.; quanquam apud hunc eosdem et virgas gestare et baculis inniti videmus; nec vicissim talibus exemplis caremus, ubi in eadem pictura alii βακτηρίας, alii σκῆπτρα gerentes apparent, cf. Gerhard auserl. Vasenb. III, T. 160, Lenormant élite I, T. 19. 87 etc. Nimirum βακτηρίαι manubriis conspicuae sunt, quibus brachia vel manus innituntur, cujus generis passim specimen exstat, v. c. Tischbein Coll. Hamilt. IV, T. 41. 48. 58, Millin Peint. de Vases I. 17, II. 15, Millingen Vases 10, uned. Mon. 36, Vases Coghill 10. 12. 13. 22, Raoul-Rochette Mon. d'antiqu. fig. 71, Lenormant élite Vol. I. 27. 39. 40. 77, II. 16. 17, Gerhard Vasenb. V. II. 150, III. 163. 189. 229. 239, Coupes 12—15, Arch. Zeit. 1846, T. 39. 40, Mon. dell' Instit. I. 5. 36, II. 14. 24. 48. 59; sceptra vero et longius eriguntur, quam ut superne capessi possint, et in qualecunque ornamentum exeunt, quod velut cuspidis locum teneat, multa praeterea etiam clavis distincta cernuntur, quale Achilleum Homerus describit Iliad. I. 246, χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον, quocum cf. Tischbein I, T. 1. 20, II, T. 1, Millingen uned. Mon. 14, Vases 40, Gerhard V. III. 160. 210, Mon. dell' Inst. II, T. 30. 31. 59 etc. Quanquam hoc fortuitum potius est; multo insignius aquilae ornamentum, quo ut Romanorum sceptra constanter usa esse legimus, ita Graecis quoque in promtu erat

ὁ σκηπτοβάμων αἰετός, κυὼν Διός,

ut est in fragmento Sophoclis — vel ut Welckero placet in Ann. dell' Inst. arch. 1834, p. 307, Aeschyli — apud Schol. Aristoph. Av. 510, quo ipso loco mos alitum sceptris imponendorum luculente illustratur:

ἦγον δ' οὕτω σφόδρα τὴν ἀρχήν, ὥστ' εἴ τις καὶ βασιλεύοι
ἐν ταῖς πόλεσιν τῶν Ἑλλήνων Ἀγαμέμνων ἢ Μενέλαος,
ἐπὶ τῶν σκήπτρων ἐκάθητ' ὄρνις —

omnium vero locupletissimus hujus rei auctor Pindarus Pyth. I. 6 ipsius Jo-

vis in sceptro residentem aquilam fingit, quod sceptrum ut ab humanis regibus ad deorum hominumque rectorem translatum esse certum est, ita aquilam illis ipsis propter hanc potissimum causam adjici consentaneum erat, quia regiae potestatis origo a summo numine divino repetebatur. Sceptrum enim inter deos masculos ne Neptunus quidem facile gerit, qui sicubi posito tridente ad commune gestamen rediisse videatur, ut Gerhardo Vasenb. I, p. 48, videndum est, ne aut cum Jahnio in Ann. dell' Inst. 1845, p. 368 Jovem, aut si piscis in manu hunc intelligi vetet, Nereum amplecti praestet, quem quum apud Gerh. T. 147. 178. 182 sceptro et delphino insignitum habeamus, haud scio an eundem (cum Peleo vel Achille) apud Roulezium in Bull. de l'Acad. de Brux. T. X P. 6 agnosci tutissimum sit; hoc autem misso soli restant Jupiter et Pluto, quem ipsum Jovem inferum recte dixeris, nec mirum hunc quoque pariter ac fratrem non sceptro tantum, ut in Mon. dell' Inst. II, T. 53 vel apud Gerhard Vasenb. T. 87, verum etiam aquila uti, cujus exempla vel Braunius in Ann. dell' Inst. 1837, p. 224 vel Roulezius in Bull. de Brux. T. XI, p. 100 exhibent. De ipso Jove omnia nota sunt, cujus ut Phidias sceptro aquilam imposuit (Paus. V. 11), ita nunc quoque eandem gestans cernitur in artis monumentis apud Tischbein. IV, T. 25. Raoul-Roch. Mon. d'Antiqu. fig. 41, Millin Peint. de Vases II. T. 31, Millingen Vases Coghill 46, Mon. dell' Instit. II. T. 30. 31, Gerhard Vasenb. I. T. 7 et in Abhh. d. Berl. Akad. Philol. Cl. 1836; ad mortalis autem regni significationem translatam conspicimus in Agamemnone Mon. dell' Inst. arch. II. T. 12 ex verissima Mülleri interpretatione Ann. 1835, p. 226, Phineo ibid. III. T. 49, Creonte apud Millin tombeaux de Canose pl. 7, Aeete apud Millingen Peint. de Vases pl. 7, Theseo ibid. pl. 23, Oedipo apud Raoul-Rochette Mon. d'antiqu. fig. pl. 78 etc. Neque tamen aut sola aut usitatissima haec sceptri figura in monumentis est, ne Jovialis quidem, quod passim etiam solo flore vel cuspide foliis cincta ornatum pingitur; cf. Gerhard. Vasenb. II. T. 128. 143, Millin Peint. d. Vases I. T. 34, Mon. dell' Inst. I. T. 11. 20, Lenormant élite I. T. 14—21, 54. 55. 61—65, eodemque exemplo apud Tischbein. I, T. 1 Iobatem, 15 Antenorem, 20 Menelaum, apud Millinum II, T. 3 Polydectem, apud Gerhard. III, T. 231 Anchisem, apud Raoul-Rochette 26 a Agamemnonem, apud Millingen unedit. Mon. 15 Phineum, Peint. de Vases 4 Nereum, eundem in Mon. dell' Inst. I, T. 38, ibid. 57 Paridem, III. 30 Cecropem instructum videmus; dearum denique heroinarumve fere constans hoc gestamen est, ut Junonis Tischb.

II. T. 1, Raoul-Roch. 49, Lenormant élite I. T. 30—36. 81, Telluris Mon. dell' Inst. IV. T. 59, Cereris ibid. I. T. 4, Gerhard Vas. I. 46. 75, Proserpinae Mon. II. T. 49, Latonae Gerhard. Vas. I. 29, Lenormant II, T. 36. 44, Veneris ibid. I. T. 81, Millingen unedit. Mon. 17 etc., nisi quod interdum pro flore, ut Mon. dell' Inst. II, T. 31, umbilicus tantum exiguus conspicitur, qualem Jovi quoque Lenormant I, T. 65 a, Mon. dell' Instit. III, T. 44, Nereo eadem I, T. 6, Triptolemo Gerhard Vasenb. I. 42. 85, Erechtheo Millingen unedit. Mon. 14 tribuunt, posteriorque aetas in parietum picturis (Mus. Borbon. II. 58, IV. 3) pariter ac sarcophagis (Raoul-Roch. 72) aliisque anaglyphis (Mus. Pioclem. IV, T. 18. 19. 38) fere solum hoc sceptrorum ornamentum retinuisse videtur. Prorsus singularis est aedicula sceptro imposita apud Raoul-Rochette 78, quo recte quum alii tum novissime Overbeckius (Gallerie heroischer Bildwerke p. 65) Tiresiam vatem insigniri intellexerunt, quem ipsum alibi (Winkelm. Monum. inediti T. 157) umbilicatum sceptrum gerere videmus; nec Chrysae sacerdotis exemplo in Mus. Disnej. T. 39, quod aliquam illius similitudinem offerre scite Wieselerus in G. G. A. 1849, p. 456 intellexit, hic ipse tuto uti concessit; immo saepius omni ornamento sceptrum caret, ut Tischbein. I. T. 21, Lenormant I, T. 53 a, quod etsi plerumque sola pictoris negligentia excidisse dixeris, tamen vel ideo animadvertendum est, quod idem interdum in hastarum cuspidibus accidit, quas ne quis cum sceptris confundat, probe cavendum est; cf. Gerhard Vasenb. V. III, p. 32. 62. 130. Quamvis enim scriptores σκήπτρου vocabulo ita promiscue uti viderimus, ut ad qualemcunque baculi speciem referatur, pictores tamen reges deorumque numina regia peculiari σκήπτρου forma insignire voluisse manifestum est, unde non usu magis quam ipsa specie diversum horum insigne fuisse colligimus; eademque hastae causa est, cui licet hinc inde, ut apud Lenormant I. T. 32 aliisque Junonis imaginibus a Gerhardo apud. Vasenb. p. 31 laudatis ipsa sceptri cuspis assimilari videatur, nunquam tamen ut tridens vel thyrsus sceptrum quoque in hastae locum usumve transiit.

At, inquiat aliquis, nonne ipsum regis sceptrum initio hasta fuit nec nisi obtusa cuspide ex bellico usu in civilem transiit, originem autem vel sic ab ea regiae potestatis parte accepit, quae ad militare imperium bellique principatum pertinebat? Speciosa sane sententia, quam post Cuperum apoth. Homer. p. 22 imprimis commendavit Böttigerus Vasengem. T. II, p. 149, cuique vel Saulis

Hebraeorum regis exemplum I Samuel. XXII. 6 favere Bertheavius monuit, inter Graecos autem aperte adstipulatur Pausanias IX. 40. 6, ipsum Agamemnonis sceptrum, unde omnis nostra disputatio profecta est, Chaeronenses hastae nomine coluisse narrans: Θεῶν δὲ μάλιστα Χαιρωνεῖς τιμῶσι τὸ σκῆπτρον, ὃ ποιῆσαι Διί φησιν Ὅμηρος Ἥφαιστον, παρὰ δὲ Διὸς λαβόντα Ἑρμῆν δοῦναι Πέλοπι, Πέλοπα δὲ Ἀτρεῖ καταλιπεῖν, τὸν δὲ Ἀτρέα Θυέστῃ, παρὰ Θυέστου δ' ἔχειν Ἀγαμέμνονα· τοῦτο οὖν τὸ σκῆπτρον σέβουσι δόρυ ὀνομάζοντες: utque Valerium Flaccum mittam, qui Telamonem iisdem fere verbis, quibus Iliad. I. 234 Achilles; Aeneid. XII. 206 Latinus per sceptra jurant, hastam testari fecit Argon. III. 708, claris verbis Euripides Hecub. v. 9 Polymestorem φίλιππον λαὸν δορὶ εὐθύνειν dixit, Plutarchus V. Dion. c. 24 λογχὴν παράσημον ἀρχῆς καὶ δυναστείας appellavit, Justinus denique XLIII. 3, ubi Romae initia narrat: *per ea*, inquit, *adhuc tempora reges hastas pro diademate habebant, quas Graeci sceptra dixere: nam ab origine rerum pro diis immortalibus hastas coluere; ob cujus religionis memoriam adhuc deorum simulacris hastae adduntur.* Alii tamen aliter sentiunt, quos inter Aug. Guil. Schlegelius verberandi causa sceptrum summo magistratui datum innuere videtur Oper. T. X, p. 125: *bei Scepter denkt man sich so leicht den heutigen Pomp der Königswürde — jenes σκῆπτρον war freilich auch Symbol derselben, aber zugleich nicht zu vornehm, um als körperliche Gewalt auf den Rücken der Unterthanen zu wirken*, scilicet respiciens Iliad. II. 198, ubi Agamemnon,

> ὃν δ' αὖ δήμου ἄνδρα ἴδοι βοόωντά τ' ἐφεύροι,
>
> τὸν σκήπτρῳ ἐλάσασκεν, ὁμοκλήσασκέ τε μύθῳ,

Ulyxemve ibid. v. 265 Thersitae μετάφρενον ἠδὲ καὶ ὤμω sceptro ferientem, neque illud ab hac sententia alienum est, quod Aegyptiorum reges, quos scipionem certe cum sacerdotibus aliisque hominibus communem habere vidimus, peculiariter flagellum gerunt ipsarumque reginarum sceptrum in flagelli speciem effictum conspicitur, cf. Wilkinson the manners and customs of the ancient Egyptians, Ser. II, Vol. II, p. 281; — tertia denique eorum opinio est, qui, quoniam passim reges pastoribus, ποιμέσι λαῶν, assimilantur, sceptrum quoque ad pastoritii baculi exemplum, quem Graeci καλαύροπα vocant, a regibus sumtum esse statuunt; cujus rei Paschalius de coronis VI. 19, p. 407 Amycum Bebrycum regem testem citat ex Apoll. Rhod. Argon. II. 33, ubi is certamen cum Polluce initurus simul cum veste καλαύροπα τρηχεῖαν

κάββαλε, τὴν Φορέεσκεν, ὀριτρεφέος κοτίνοιο:
inter nostrates autem insignissimus auctor est Wachsmuthius Hell. Alterth. T. II, p. 122, ita sceptrum regium describens: *das die Friedensgewalt versinnbildete und eher dem Hirtenstabe des ποιμὴν λαῶν, zur Leitung und Richtung der Heerde, als dem rügenden Stocke verglichen werden mag.* Quid igitur? num harum sententiarum alterutram probabimus? an ad hastam reversi parum interesse arbitrabimur, qua cuspide utatur, modo lignum rectum et procerum sit? Mihi vero nulla istarum rationum adeo arridet, ut integram et simplicem amplecti audeam, praesertim quum probatae antiquitatis scriptores longe aliam hujus insignis vim et indolem sibi proposuisse videantur. Sic Aeschylus Choephor. 357 πεισίμβροτον βάκτρον appellat, quod neque in hastam neque in fustem convenire quivis intelligit, nec facile hastam pro sceptro divinitus dato eum habuisse crediderim, qui Sept. 514 Parthenopaeum ita per illam jurantem fecit, ut eam μᾶλλον θεοῦ σέβειν, ipso numine sanctiorem habere videretur; quam si maxime concedimus ipsam hinc inde pro numine coli potuisse, non tamen inde sequitur, ut quodcunque posterius pro numine coleretur, in hastae locum successerit, nedum sceptrum, cujus culti praeter Pausaniae locum ne vestigium quidem apud veteres ullum exstat. Atque hoc de loco quid sentiam, paucis ita aperiam, ut Chaeronensem illam hastam Stratii Jovis symbolum fuisse suspicer, quem etsi Herodotus V. 119 solos Cares colere perhibuit, tamen aliis quoque in terris aras habuisse testimonia ab Abekenio in Ann. dell' Inst. arch. 1839 p. 70 et Jahnio Arch. Aufs. p. 33 collecta abunde probant; eundem vero Aelianus Hist. anim. XII. 30 alio nomine Κάριον appellatum esse tradit, quocum collata Uscholdii sententia (Gesch. d. Trojan. Kriegs p. 176), qui doctis argumentis Agamemnonem ad Jovis Carii cognomen convertit, facile intelligitur, quomodo posterioris aetatis interpretes, qui hanc nominis significationem ignorarent, ad Homerici Agamemnonis gestamen delapsi sint; — hoc autem cultu prorsus singulari et semibarbaro misso vel si quis cum Böttigero (Amalth. T. II, p. 302) deorum gestamina sive attributa ex symbolis repetat, quae pridem pro ipsis diis coli solita sint, ne insignissimum quidem hastae consecratae exemplum, qua Martis numen apud Romanos antiquissimos cultum esse constat (Pellegrino Religionsunterschied der Patricier und Plebejer p. 49, Ambrosch Studien auf dem Gebiete des röm. Bodens u. Cultus p. 8), ad sceptrum transferet, quo eundem Martem non magis quam Minervam pro hasta insignitum novimus. Idem vero Böttigerus (Vasengem.

T. II, p. 61) quo confugit, ut baculos, quibuscum non Lacedaemonios tantum sed omnino Graecos passim in publicum processisse legimus (Privatalterth. §. 21, not. 32), in hastarum locum successisse suspicetur, quas vel singulas vel binas Homerici heroes manibus gestare solebant, certe non eam vim habere potest, ut aut baculos illos, quos manubriatos in monumentis conspicimus, quasi cuspidibus tantum abjectis ex ipsis hastis prodiisse, aut idem, quod in baculos, in sceptra quoque cadere statuamus, quae et forma longissime a baculis discedere et aetatem cum hastis fere eandem habere videmus; unde fit, quod scite etiam Terpstra monuit Antiqu. Hom. p. 74, ut utrorumque iisdem locis juxta se mentio injiciatur; ipsa denique hasta etsi virtutis et dominationis signo aptissima erat, hanc tamen cum multis aliis adeo communem rex habebat, ut propriae potestatis signum inde repetere vix posset. Melius vel fustis conveniret, si aliquo indicio constaret Graecis antiquissimis hoc peculiare imperii signum fuisse, si quis alios verberibus coërcendi jus haberet; cujus tamen quum ne in servis quidem castigandis apud Homerum ullum momentum appareat — nam quod Odyss. VIII. 528 describitur, ad bellicam potius violentiam spectat — ne intellecturum quidem illius aetatis hominem fuisse arbitror, si quis tali instrumento legitimum poenae irrogandae jus significasse voluisset, quam praeterea tunc temporis intra mulctam plerumque substitisse certum est; neque alia pastoricii baculi sive pedi causa est, quod etsi passim pastores gestasse concedo, tamen nec ipsum ullam cum sceptro similitudinem exhibet, nec tanta constantia usurpatur, ut Graeci aut pastorem sine baculo cogitare nequiverint, aut qualiscunque baculi indicio illico pastorem cognovisse videantur; cf. Wieseler über das Satyrspiel in Stud. Gott. 1847 T. II, p. 666; quod nisi reges Homericos Pani quam Jovi similiores fingere libuerit, insigne, quod illis cum hoc commune est, altius repetere cogemur.

Atqui hoc quaerentibus probatissimi auctores ultro hanc rationem offerunt, ut judicialem maxime regis potestatem hoc insigni declarari consentiant; qua sententia ut Iliad. IX. 99 σκῆπτρον ἠδὲ θέμιστας jungi vidimus, ita XVIII. 505 γέροντας quoque in judicio σκῆπτρα manibus tenentes sedent, immo etiam inter inferos Minoem hoc gestamen retinentem cernimus Odyss. XI. 569:

χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νέκυσσιν:

omnium denique clarissime Apollonius hanc sceptri vim descripsit Argon. IV. 1178:

σκῆπτρον ἔχεν χρυσοῖο δικασπόλον, ᾧ ὕπο λαοὶ
ἰθείας ἀνὰ ἄστυ διεκρίνοντο θέμιστας,

quo comparato ne illum quidem Iliadis locum (IX. 156) a juris dicendi significatione alienum habebimus:

καί οἱ ὑπὸ σκήπτρῳ λιπαρὰς τελέουσι θέμιστας:

cf. Nitzsch. ad Odyss. T. I, p. 28. Nec poëtarum modo haec figmenta sunt, sed Aristoteles quoque Politic. III. 9. 7 sceptra cum regum antiquissimorum judiciis jungit, ubi reliquis illorum muneribus enumeratis, καὶ πρὸς τούτοις, inquit, τὰς δίκας ἔκρινον· τοῦτο δ' ἐποίουν οἱ μὲν οὐκ ὀμνύοντες οἱ δὲ ὀμνύοντες· ὁ δὲ ὅρκος ἦν τοῦ σκήπτρου ἐπανάτασις: quod ne quis ad solam jurisjurandi cerimoniam restringat, qualis Iliad. VII. 412, X. 321 etiam extra judicium describitur, recogitandum est ex antiquitatis sententia justa ac legitima judicia a juratis tantum exerceri potuisse, quapropter inter Athenienses quoque qui sorte ducti ex populo judicabant, nulla re magis a reliqua turba discernebantur quam jurejurando, quo velut sanciri eorum opera justitiaeque notione divinitus impertiri videbatur, cf. comm. meam über Gesetz, Gesetzgebung und gesetzgebende Gewalt in Griechenland in Abhh. d. Gött. Gesellsch. d. Wiss. T. IV, p. 74; — atqui hos quoque judices baculos pro muneris insigni accepisse constat; cf. Demosth. Cor. §. 210, Schol. Aristoph. Vesp. 1110, Plut. 277; — quod si et judicia cum jurejurando et hoc cum sceptro arcte junctum cernimus, ne ipsorum quidem judiciorum significationem a sceptro alienam existimabimus. Nempe justitia ultra humanum arbitrium remota nisi divinitus accipi non posse credebatur: δίκη ξύνεδρος Ζηνὸς ἀρχαίοις νόμοις, ut apud Sophoclem est Oed. Col. 1381, immo, ut Plutarchus ait ad princ. inerud. c. 4, ὁ μὲν Ζεὺς οὐκ ἔχει τὴν Δίκην πάρεδρον, ἀλλ' αὐτὸς Δίκη καὶ Θέμις ἐστὶ καὶ νόμων ὁ πρεσβύτατος καὶ τελειότατος, neque regum fiducia, qua jus ab his potissimum peti solebat, altiore fundamento nitebatur, quam quod ipsi deos propiore cognatione attingere viderentur, μακάρων σχεδὸν αἵματος ἐκγεγαῶτες, Apoll. Rhod. Argon. II. 1223, vel quod ex Aeschyli Niobe (Hermann. Opusc. T. III, p. 55) Plato Republ. III, p. 391 E affert, θεῶν ἀγχίσποροι, Ζηνὸς ἐγγύς, ὧν κατ' Ἰδαῖον πάγον

Διὸς πατρῴου βωμός ἐστ' ἐν αἰθέρι

κοὔπω σφιν ἐξίτηλον αἷμα δαιμόνων:

nihil igitur mirum sceptrum quoque, quod per deorum manus ad reges pervenisse Homerus praedicat, hanc potissimum juris velut conscientiam significare, qua non Graecos modo verum etiam Orientis gentes reges pollere credidisse ostendunt Proverb. Salomon. XVI. 10: *Weissagung ist in dem Munde des Königs, sein*

Mund fehlet nicht im Gericht; cf. Movers Phönic. Alterth. T. I, p. 536: *richten und König seyn sind synonyme Begriffe im A. T. und Richter war häufige Bezeichnung für König.* Immo vatum quoque sceptra, quale Tiresias gerit Odyss. XI. 91 et Cassandra apud Aeschyl. Agamemn. 1260 pariter ac μαντεῖα περὶ δέρῃ στέφη inter artis suae argumenta numerat, eandem rationem habent, neque temere Hesychius T. II, p. 34 σκῆπτρον, ὃ φέρουσιν οἱ μάντεις ἀπὸ δάφνης, eodem vocabulo ἰθυντήριον appellat, quo Aeschylus Pers. 761 regium; si quidem vaticinia nihil nisi aeternae justitiae decreta aperire conabantur, ipseque Apollo θέμιστας (Hom. H. Apoll. 391) sive θέμιδας (Pind. Pyth. IV. 54) edere, Pythia θεμιστεύειν dicitur; cf. Böttiger Kunstmythol. T. II, p. 110, Schömann ad Aeschyl. Eum. p. 75; nec condidisse tantum Delphicum oraculum — quod docte illustrat Gerhardus das Orakel der Themis, Berl. 1846. 4 — sed idem cum Apolline administrare, συμπροφητεύειν, Themis credebatur, Plut. malign. Her. c. 23; Jovem denique, cujus adeo Apollo προφήτης tantum est (Aeschyl. Eum. 19), vel hoc nomine sceptrum gerere non magis mirabimur, quam Junonem aut Cererem aut quamcunque aliam deam, quae cum ipsa Themide πολλῶν ὀνομάτων μορφὴν μίαν (Aeschyl. Prom. 210) communem habebat. Sceptrum autem cur potissimum ad justitiam significandam adhibitum sit, duas imprimis causas afferri posse arbitror. Primum enim quemcunque jus dicere oportet, eum verba facere in populo necesse est; eum autem, qui quocunque modo audientiam sibi facere vellet, aut baculum aut ramum aut aliquid denique manibus gerere solemne erat, quo oculos simul in se converteret; quo ex genere etiam posteriore aetate et rhapsodorum virgam (Intpp. Pind. Isthm. III. 56), quam ipsam σκῆπτρον Hesiodus Theog. 30 appellare videtur, et lauri myrtive ramum in canticis convivalibus usitatum (Intpp. Aristoph. Nubb. 1367, Vesp. 1231), et histrionum baculos (Didym. V. Sophocl. §. 6; cf. Böttig. Opuscc. p. 307) novimus; nostram vero in rem praeter Iliad. III. 216 sqq., ubi oratores publici cum σκήπτροις describuntur, imprimis praecones memorabiles sunt, neque solum propter peculiarem sibi virgam Mercurialem sive caduceum, quem ne quis cum sceptro confunderet, scite caverunt Prellerus in Schneidewini Philologo T. I, p. 517 sqq. et Ostermannus in diss. de praeconibus Graecorum, Marb. 1845. 8, p. 20; sed etiam propter σκήπτρων aliquod cum regibus consortium, quae tum ipsi gerunt, ut Iliad. VII. 277, tum concionaturis ut Iliad. XXIII. 568, Odyss. II. 37 adeoque judicibus tradunt, quales cernimus Iliad. XVIII. 505:

Εἵατ' ἐπὶ ξεστοῖσι λίθοις ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ,
Σκῆπτρα δὲ κηρύκων ἐν χέρσ' ἔχον ἠεροφώνων.

Atqui praecones apud Homerum ipsorum regum ministros esse satis constat; quos si consentaneum est in tradendo sceptro non magis sua quam regia auctoritate egisse, ne regium quidem sceptrum ab hujus facultatis significatione removere par erit, quam praecones per sceptrum tradidisse vidimus, ut verba apud populum fierent; praesertim quum et regum et eorum, qui in illorum locum successerunt, magistratuum apud plerasque antiquitatis gentes hoc praecipuum jus fuisse norimus, ut praeter ipsos quibusque ipsi concionem habendi potestatem fecissent, nemini uni ex populo sententiam dicere liceret; cf. Iliad. XII. 212 deque Lacedaemoniis Plut. V. Lycurg. c. 6 cum Müllero Dor. T. II, p. 89 nostrisque Staatsalterth. §. 55, not. 15. Id ipsum tamen ne quis quaerat cur sceptro potius quam quacunque alia re significatum sit, haud scio an illa praeterea ratio accedat, ut quoniam primarium regis munus in jurisdictione cerneretur, totam illius potestatem eo maxime symbolo declarari placuerit, quod tanquam regula ipsa sua proceritate et rectitudine moneret, ne quid ab illo vari aut incurvi, hoc est improbi vel ambigui procederet. Recta enim honestatis et justitiae, curva turpitudinis et pravitatis instar veteribus fuisse quum alii loci sexcenti, tum illustrissimus Persii docet Sat. IV. 11:

Scis etenim justum gemina suspendere lance
Ancipitis librae; rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel quum fallit pede regula varo;

neque a concionum deliberationibus hanc loquendi figuram alienam ostendunt Tyrtaei verba apud Diodor. Sic. l. VII:

Ἄρχειν μὲν βουλῆς θεοτιμήτους βασιλῆας,
Οἷσι μέλει Σπάρτης ἱμερόεσσα πόλις,
Πρεσβυγενεῖς δὲ γέροντας, ἔπειτα δὲ δημότας ἄνδρας,
Εὐθείαις ῥήτραις ἀνταπαμειβομένους,

quibus lucem afferunt, quae ex ipsa lege Spartana Plutarchus servavit V. Lycurg. c. 6: αἰ δὲ σκολιὰν ὁ δᾶμος αἱροῖτο, τοὺς πρεσβυγενέας καὶ ἀρχαγέτας ἀποστατῆρας εἶμεν: cf. Müller Dor. T. II, p. 86 et Krebs lectt. Diodor. p. 145; in jure autem summum momentum merito tribuitur

ἰθείῃσι δίκαις, αἵτ' ἐκ Διός εἰσιν ἄρισται,

ut ait Hesiodus ἔργ. 36, cf. Iliad. XXIII. 580; Aesch. Eumen. 411; Apoll.

Argon. II. 1027, utque ipsi reges, quos Latini quoque a *regendo* vocarunt, passim εὐθύνειν πόλιν (Soph. Antig. 178) dicuntur, ita sceptrum ἰθυντήριον appellari ex Aesch. Pers. 761 superius commemoravimus; quippe sub quo, ut itidem apud Apollonium legimus, λαοὶ ἰθείας ἀνὰ ἄστυ διακρίνονται θέμιστας: quae quum ita sint, et formae sceptri, qua id ab aliis scipionum generibus distingui vidimus, et primariae, quam idem apud antiquas gentes habuisse constat, potestati nullam magis explicationem convenire arbitramur, quam ut velut oculis spectandam rectitudinem proposuerit, qua regem et in jure dicendo et in reliqua re publica administranda uti par esset.

Hoc vero loco ipse disputationis ordo sponte nos ad ejus regis memoriam revocat, cujus recens obitus omni huic scribendi operae occasionem dedit, Augustissimi ac Clementissimi Domini Rectorisque Academiae nostrae Magnificentissimi, **ERNESTI AUGUSTI HANNOVERAE REGIS** optimi justissimi fortissimi, quo neminem unquam dignius sceptra gessisse hoc ipso nomine affirmamus, quia recta via semper ad muneris sua officia tetendit nec solus tantum inter turbas ac tempestates rectam cervicem extulit, sed universae quoque reipublicae gubernacula ad rectum cursum perpetuo convertit. Alios reges avitarum virtutum recordatio, alios spes publica, alios regii nominis pompa et majestas commendat; hunc nulla res magis quam ipsius ingenium animique candor cum aequissimae mentis constantia conjunctus carum populis fecit; quem animum quum nos quoque dudum cum reliqua patria admirati essemus, tum hac proxima aestate coram praesentem tam accumulate cognovimus, ut non nimis arroganter facturi esse videamur, ubi vel peculiares quasdam partes in lugendo illo nobis vindicaverimus. Itaque die hujus mensis XVII hora postmeridiana II ad optimi Principis parentalia celebranda in Aulam Academicam conveniemus, ubi orator publice constitutus funebri panegyrico ejusdem memoriam rite prosequetur; quibus cerimoniis ut Cives academici adolescentesque disciplinae nostrae crediti ornatissimi, carissimi, quicunque praeterea Academiae bene cupiunt studiisque nostris favent, suo quisque loco et ordine honoratissimi frequentes interesse velint, qua par est observantia hisce literis invitamus. Nos vero jam nunc in pias preces effusi Deum Optimum Maximum suppliciter adoramus, ut novo Regi ac Domino nostro Augustissimo **GEORGIO QUINTO** paternam mentem duit, eumque cum Celsissima conjuge ac Regina **MARIA** totaque domo Regia per omne aevum

salvum sospitemque faxit; cui quae ante hos novem annos faustissimum matrimonium ineunti bene ominantes acclamavimus, laeti lubentesque nunc votorum compotes facti iteramus:

Te jure nostrum concelebrabimus
Hereditatis non secus ac spei
Regem, manus fidemque laeti
Coelitus imposito daturi;
Tu providenti sceptra geres manu,
Regnique habenas stans moderaberis;
Nec quas puer Musas colebas,
Aut pater aut avus elevabis!

P. P. in Academia Georgia Augusta d. XIV. Decemb. MDCCCLI.